





ov

Recht von der

10

U. g. 17, 9





DISSERTATIO PUBLICA

Ad

*L. pen. & ult. Cod.*

De

CONDITIONE

INDEBITI,

*Quam*

PRÆSIDE

Dn. JOHANNES STRAUCHIO,

Jcto, Consiliario Saxonico, Prof. Publ. Curia<sup>e</sup> Pro-  
vincialis Saxonico-Ducalis, ut & Scabinatus, atque

Juridici Ordinis Assessore, in illustri

Salanâ

*Examinandam proponit*

CASPAR ANDREAS GRIBIUS,

HALL. SAX.

*Ad diem Decembr.*

---

JENÆ, Typis NISIANIS

ANNO M. DC. LVII.

CASPAR ANDREAS GRIBIUS





REVERENDISSIMO, SERENISSI-  
MO ATQUE CELSISSIMO PRINCIPI.

AC DOMINO

DN. AUGUSTO,

Postulato Administratori Pri-  
matus & Archi-Episcopatus Magdebur-  
gensis, Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium,  
Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae, nec non su-  
perioris & inferioris Lusatiae, Comiti Marcae & Ra-  
venspurgi, Domino in Raven-  
stein,

DOMINO SUO CLEMEN-  
TISSIMO

Dedicat, Consecratque

CASPAR ANDREAS GRIBIUS.



SERENISSIME PRINCEPS,

**N**on praeferit me vasta illa atque ingens moles Curarum  
Principalium, nec aliis ferenda humeris, quâ ut caelum  
Atlas, sic TUA CELSITUDO Remp. feliciter sustinet.  
Sed patere obsecro tribus interpellari verbis à devotissi-  
mo alumno Tuo. Angusta siquidem Munificentia Tua benefi-  
cio effectum est, ut Te publico nec simulata devotionis alloquio po-  
tius, quàm silentio, venerer. Lustrum est & amplius, ex quo  
splendidâ SERENITATIS TUÆ largitate, studiorum meorum cursus,  
veluti benignis auris adspirantibus, adjuvari ac promoveri coepit.  
Igitur ut pro immortalis hoc beneficio, gratum animum tester, affe-  
ra memet ipsam; ut, in quem collatum illud sit, cuius commodum  
tam, significem, mecum studiorum ac industriae aliquod specimen.  
Non equidem partum hunc meum esse ajo; Praeses est, qui hunc a-  
gnoscit. Sed quòd utique Illius est, eò acceptiorem confido fore;  
nec eò minus de mea vel industria vel gratitudine etiam nunc con-  
stare posse. Equidem majus quid debebam, Cui omnia debeo; nec  
diffiteor. At verò non solidum, sed quatenus facere possim, peti  
sentio. Quinimò totum iis acceptum facit SERENITATIS TUÆ  
Munificentia, qui modò sese sic eruditos ostendunt, ne spes nul-  
la eos foveat, toto legitimo opere perfecto, posse cum DEO, PRINCI-  
PI, PATRIÆ, prout cuique à Deo ac natura datum concessumque est,  
non temerè aut inutiliter inservire. Id quod ipsum re atque ope-  
rà prestare cum nondum liceat; verbis tamen votivis ac precibus  
utique licet. Igitur

DEUS OPT. MAXIMUS  
TE, VERE AUGUSTUM PATRIÆ  
PATREM

cum universa Illustrissima Familia quàm diutissimè salvum ac so-  
spitem tueatur, Patriæq; tempora largiatur tranquilla, atque ab-  
cujusvis generis calamitatum casibus libera atque secunda! DEUS  
TE SERVET.



Ad doctissimum  
DN. GRIBIUM, Amicum & Audi-  
torem suum.

**Q**uod fidem nunc exercitatione publicâ liberas, Gribi poli-  
tissime, non ita pridem datam, hoc fortè creditorum tuo-  
rum spem antevenis, qui aliquando conducturi videban-  
tur. Quâ re bonum nomen facis, tuisque Patronis in-  
primis commendandus venis. Cum enim debitores sitis non solum  
Parentibus & Propinquis atque Patriæ: Sed & Mæcenatibus, be-  
neq; factoribus vestris, opera Adolescentibus vobis, quanta maxi-  
ma, danda est, ne hic ære quasi alieno obrutos conturbare oporteat.  
Quod optimè cavetur, si temporibus rationes studiorum vestrorum  
pariantur, & dispunguntur. Neque enim unquam plus tempore  
hic solvitur. Nec, ut ipse disputas, debitum ante diem certum,  
solutum, repeti potest. Dies autem omninò certus vobis est, ab  
ipso Imperatore dictus, quinquennium, quem ut anticipare glorio-  
sum, ita si non turpe, desidiosum omninò est, nisi ex magnâ causâ  
post illum reliquari. Et quia satis memini, me quoque expromis-  
sione meâ fieri aliquando reum posse, res mea agitur, ut hoc nomine  
Te maturè exsolvas, & meo pariter atque tuo. Sed prius est, ut  
moneta præsens exploretur; formæne publicâ signata, pondere  
justo cusa, ærosumne, aut nescio quid inauditi tinniat. Quâ de  
re non ad mensam argentariam eundum, sed in auditorium Cito-  
rum. Exploratores audiendi, Juvenes docti, lance & librâ judi-  
cii momenta exigenda omnia, ut de probitate iudicium ferat fa-  
ma. Quæ omnia ut ritè, ut auspiciatò, ut dextrè peragantur, nos  
tam precor, quàm, quâ possum & interest, præstabo. Vale

Tuus

JOH. STRAUCHIUS, Phil. & J. U. D.  
P. P.





## DISSERTATIO

ad

*L. pen. & ultim. C. de cond. indeb.*

Verba legis.

*L. 10. Imp. Justinianus A. Juliano PP.*



*S*iquis servum certi nominis, aut quandam solidorum quantitatem, vel aliam rem promiserit, & cum licentia ei fuerat unum ex his solvendo liberari, utrumque per ignorantiam dependerit: dubitabatur, cujus rei daretur à legibus ei repetitio, utrumne servi, an pecunia: & utrum stipulator, an promissor habeat hujus rei facultatem. Et Ulpianus quidem electionem ei praeferat, qui utrumque accepit, ut hoc reddat, quod sibi placuerit: & tam Marcellum quam Celsum sibi conformantes refert. Papinianus autem ipsi, qui utrumque persolvit, electionem donat: qui & antequam dependat, ipsam habet electionem, quod velit, prestare & hujus sententiae sublimissimum testem adducit Salvium Julianum, summa auctoritatis hominem, & pratorii edicti perpetui ordinatorem. Nobis hac decidentibus, Juliani & Papiniani sententia placet ut ipse habeat electionem recipiendi, qui & dandi habuit. Dat. Kal. August. Constant. Lamp. & Oreste. VV. CC. Conf.

A

CA-



## CAPUT I.

Exponitur textus *κατὰ τὸν δα.*

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Decisio ex quinquaginta, tertia proponitur.</p> <p>2. Controversia decisa quenam.</p> <p>3. Casus controversus fingitur.</p> <p>4. Servus certi nominis, quis.</p> <p>5. 6. Nomen, quid in jure significet.</p> <p>7. 8. Servus sua quoque nomina.</p> <p>9. Servus certi nominis an intelligatur individuum.</p> <p>10. 11. Nomen pro debito, quâ ratione dictum.</p> <p>12. 13. 14. Salmasius notatur.</p> <p>15. Nominibus certis, incertis, pecuniam debere.</p> <p>16. Sententia propria, quid servus certi nominis.</p> <p>18. Solidus, aureus. Notatur Barthius.</p> <p>19. Quantitas solidi seu potestas, aut valor.<br/>Emendatur l. 1. C. Th. de ponderat. auri. Gronovii laus.</p> | <p>20. 21. Obligationis disjunctivae consideratio.</p> <p>22. In disjunctivâ utrumque est in obligatione.</p> <p>24. 25. Conferuntur Julianus in l. 13. de reb. dub. &amp; Scaevola in l. 129. de V. O.</p> <p>26. De ignorantia juris &amp; facti.</p> <p>27. Inquiritur in l. 7. ff. de I. &amp; F. I.</p> <p>28. Agitur de l. 8. ff. de I. &amp; F. I.</p> <p>29. Vinnius ad partes vocatur.</p> <p>30. 31. Defenditur responsio, quod in repetendo indebito agatur de damno rei amissa.</p> <p>32. L. 7. de cond. ob tur. caus. expenditur.</p> <p>33. L. 7. de Cond. caus. dat. exponitur.</p> <p>34. Jctorum Graecorum sententia de ignorantia juris.</p> <p>35. 36. Casus excepti à regula, nempe in quibus juris ignorantia non impedit conditionem.</p> |
|---|--|

**P**raesens Justiniani decisio, tertia earum est, quæ COSS. Lampadio & Oreste prodierunt. Data enim est Kal. Augusti, ex quo jam Kal. Aprilis emissâ esset L. 1. C. de comm. serv. man. Item 12. Kal. Aug. Lex ult. C. ad Sct. Maced. & X. Kal. Aug. Lex XII. C. de Nupt. sed hac eadem die sex aliæ decisiones promulgatæ in Codice existant, de quibus suo loco.

2. Deciditur autem hæc veterum Jctorum controversia: In alternati-



nativo debito si utrumque per errorem solvatur, utrius sit repeti-  
tio. 3. Casus talis esto: Titius mihi disjunctim debebat stichum, 3  
aut Pamphilum, vel stichum aut decem, ita ut alterutrius solutio-  
ne liberari potuisset: Ille per errorem utrumque solvit, & Sti-  
chum & Pamphilum (seu Stichum pariter ac decem) Quærebatur  
inter Jctos utrius ex his electio, dantis an accipientis, in repeten-  
do indebito sit. 4. Ait Imperator: si quis servum certi nominis, 4  
aut quandam solidorum quantitatem vel aliam rem promiserit.  
5. Servus certi nominis quis est? Nomen enim & aliàs, & in usu 5  
Juris variè accipitur. 6. Possit intelligi nomen, velut Stichus, E- 6  
ros, Syrus, ut sit servus certi nominis servus in specie, quasi servus  
suo nomine designatus, non in genere, servus aut homo. 7. E- 7  
rant enim & servis sua nomina, ad libitum Domini imposita. Var-  
ro lib. 7. de L.L. Tres cum emerent Ephesi singulos servos, nonnun-  
que alius declinat nomen ab eo, qui vendit, nomen Artemidorus, at-  
que Artemon appellat. Alius aut ab regione, quod ibi emit, ab Ionia  
Ionem; aut ab Urbe Epheso, Ephesium, sic olim ab alia aliqua re,  
ut visum est. 8. Et celebrantur in pandectis nostris Stichus, Da- 8  
ma, Pamphilus, Eros, Areseusa, servilia nomina. Nomen ergo  
habebant; jus nominis non habebant. Quo minus autem ser- 9  
vus hoc loco certi nominis intelligi queat, hic servus, Stichus, E-  
ros, ut Pacio videtur commentario ad lib. 4. Cod. h. t. facit, quod  
ut maximè homo in genere disjunctim promissus esset, jus idem  
circa electionem nihilominus futurum, & proinde eadem quæ-  
stio esset futura. l. 2. §. 1. de V. O. Adeoque supervacua fuisset  
hæc Justiniani adjectio, seu *ωεσδιος ποσός, certi nominis*. 10. Por- 10  
rò nomen usurpatur & pro debito, cujus rationem reddit elegan-  
tissimus Hotomannus commentario verborum juris, nempe quia  
debitorum nomen suum in Kalendario Creditoris scribebant, vel  
argentarii vel creditorum amici. Hinc quot quis nomina in Ka-  
lendario habebat, tot habebat debitores. Erant igitur nomina 11  
in genere, quævis debita, unde vulgatissima, *nomen contrahere,*  
*exigere, facere, dissolvere, expungere.* Et nomine legato, id quod  
debetur, inque actionibus est, deberi, respondet Jctus l. 46. §. eum  
*qui. ff. de leg. 2.* 12. Et fallitur imperiosissimus Grammaticorum 12  
nostri temporis Dictator Salmasius, qui nomina de iis debitis



propriè dici, quæ sine usuris fiebant, jubet *c. 6. de modo usur.* &  
 13 *cap. 25. obs. ad jus Att.* cum vel mille locis in jure nomina occur-  
 rant, cum usuris suis (vide *l. ult. C. de pact. conveni.* ubi nomina  
 foeneratiæ cautiones exponuntur. Et *l. 34. pr. ff. de leg. 3.* Legato  
 nomine omne debitum, hoc est, & usuræ inquit Scævola, debentur.  
*l. 1. de usur.* ubi pecunia sub usuris foenerata in fine principii  
 nomen dicitur, & omnibus in locis ubi pecunia pupillaris mutuo  
 data nomen appellatur, de foeneratiâ intelligi oportet, cum gra-  
 14 tis non debet locari.) 14. Cujus & hoc alterum à vero alienum,  
 quod creditoris scripturæ solæ aliquando fidem fecerint, idque,  
 nomen facere, fuerit, & quod nata inde obligatio, Cujaciumque,  
 cui nimium quàm impar, defricatum it, qui nomina facta per scri-  
 pturam argentariæ mensæ rectissimè exponit. Si ergo nomen  
 15 hoc loco idem, atque debitum, quid erit servus certi nominis? 15.  
*Nominibus certis* pecuniam debere Ciceronis est, *pro Quinctio*, &  
*Verr. 8. certis nominibus* deductiones fieri. Et *Horat. 2. Epist. 1. no-*  
*minibus certis* expendere numos. In Scto Macedoniano, *incer-*  
*tis nominibus* credere. *l. 1. pr. ff. de Sct. Maced.* Festus in *nuncupa-*  
*tâ: Nuncupata pecunia, est nominata, certa,* propriis nominibus  
 pronunciata. Sic possit servus certi nominis exponi, servus ex tali  
 obligatione debitus, ex tali causâ, ex quâ certum petitur, secun-  
 16 dum *l. 9. pr. ff. de Reb. cred.* 16. Sed quidquid sit, prior explica-  
 tio verior videtur, servum certi nominis, significare speciem ser-  
 vi, Stichum, Pamphilum. Nec, quod supra objecimus, supervacua  
 17 hæc adjectio futura. 17. Quamvis enim, homine aut decem  
 promissis, electio perinde debitoris est, utrum velit solvere: Mul-  
 tum tamen puto, ubi ad conditionem indebiti res venit, inter-  
 esse, Stichus, an homo in obligatione sit. Hominem enim, aut de-  
 cem promittens, si solvit Stichum per errorem, putans, non genus,  
 sed speciem istam in obligatione esse, non repetet alterutrum, sti-  
 chum aut X. sed solum servum. Hic enim solus absolutè & cate-  
 goricè indebitus erat, non decem, quæ ut alternativè, verè tamen  
 debebantur: Indebita autem hypotheticè; posito, quod aliquis  
 servorum solveretur. Sin sciens hominem in genere se debere,  
 elegerit stichum, neque sic in repetendo ejus esse electio videtur,  
 utrum istum an X. velit redhibere. Tum enim competit electio  
 repe.



repetendi, ubi erat necessitas illud aut illud solvendi: Sed ubi homo in genere debetur, nulla necessitas est, solvendi hunc stichum, cum quamlibet aliam hujus generis speciem solvendo liberari possis. Cum itaque semel elegeris stichum, solvendo obligatio est extincta, & sola X. indebita. Quod secus est in servo certi nominis. 18. Ait Imperator: *Aut quandam solidorum quantita-* 18  
*tem; solidus, numisma aureum, argenteum nunquam.* Quamvis Caspar Barthius, non sine insigni errore id ita tradat, *lib. 16. Adv. XI.* A quo citatus Isidorus *in capite 24. libri 16.* auctoritatem defugit. Nihil enim ibi de nomismate argenteo. Solidus prius aureus dicebatur, quando ejus una forma & pondus. At cum ab Alexandro Severo, semisses & tremisses inventi essent, is qui pristinam quantitatem retinebat, dicebatur solidus, ad discrimen numerorum aureorum, non solidorum, sed qui solidorum partes. *Covarr. vet. numif. coll. c. 3. n. 4.* 19. De quantitate & æstimatio- 19  
ne hæret aqua Interpretibus nostris. Nam cum in *l. 13. C. Th. quæ est l. 5. C. Justin. de suscept. nec non l. singulari. C. Th. de oblat. vot.* & synopsi Basilicorum *libr. 56. tit. 5. c. 15. Harmenopot. pro chir. 3. tit. 7.* constet, LXXII. solidos in libram auri imputari, necessum erit, ut ex unicâ, quippe libræ parte XII. sex solidi cudantur. Nam 12. in 72. non continentur nisi sexies, Vide *Covarr. de vet. numif. collat. c. 3. n. 3. Isidor. 16. Etym. 24. Alciat. 3. disjunct. 9.* Et tamen in *L. 1. C. Th. de Ponderat.* auri cocti septem solidi, quaternorum scriptulorum appendi jubentur pro singulis unciis. Hoc ergo eò redegit Interpp. ut assererent, LXXXIV. solidos in libram fuisse imputatos, à Constantino. *Vid. Hotoman. antiq. Rom. lib. 4. c. 4.* Sed nec ita constat ratio. Nam si solidus fuit quaternorum scriptulorum, unciam, unde septem solidi cusi, continuisse oportet 28. scriptulos, libram CCCXXXVI. At verò ex Volusio certum est, libram non plures ducentis octoginta scriptulis habuisse, unciam non supra XXIV. Ergo si VII. solidi putantur in uncia, hi non possunt esse IV. scriptulorum. Quam difficultatem cum nec novissimè Jacobus Godofredus *dissertatione peculiari ad L. 2. C. de vet. num. por.* expediret, non veremur Pancirolli emendationem *d. l. 1. C. de ponder.* recipere, cum Savoto, *au 17. chap. de la troisieme partie du poids & prix antiq. des Medalles*







valeat & constitutum de una re solvenda. *l. illud. 25. de pec. constit.*  
quod non fieret, nisi utrumque esset in obligatione, cum frustra  
constituatur, quod non debetur, *l. 1. §. 1. l. hactenus. 11. pr. d. t.*  
24. Quid verò in disjunctâ negativâ pœnali stipulatione subjectâ, 24  
V. G. si ita stipulationem concipimus, si hominem aut fundum  
non dederis, centum dari spondes? Julianus dicit, utrumque esse  
faciendum, ne stipulatio committatur, id est, ne centum dare de-  
beas, & homo & fundus est dandus, adeò, ut sive alterum factum  
sit, sive neutrum, teneat stipulatio *l. 13. §. cum ita 2. ff. de reb. dub.*  
Qua non profit aliquid fecisse, si aliquid factum non sit: Fac pro-  
missorem decem dedisse fundum non dedisse. An stipulatio pœ-  
nalis commissa erit, nisi & fundum des? sic ait Julianus. Ratio  
redditur: quia alterutro factò, verum quidem est, hoc aut illud  
factum esse: sed non erit verum, quod tamen esse debebat, ad ex-  
cludendam obligationem centum, hoc aut illud factum non esse,  
cum hoc factum sit, illud non sit: 25. At Scævola contra, dabis 25  
si navis non venit, aut Titius COS. factus non fuerit: sufficit u-  
num non factum. *l. 129. ff. de V. O.* Ergo sibi adversi Jcti? Non  
puto. Quin diverso respectu idem utrumque dicit, secundum  
Julianum, utrumque faciendum intellige, ne committatur stipu-  
lacio: sed alterum sufficit, ut committatur, secundum Scævola  
ut rectè post Zasium *ad l. 129. de V. O. Lopez. animad. c. 24.* Nam  
quemadmodum, si nihil fieri volumus, quæ comprehensa sunt,  
in obligatione, v. g. nec stichum nec Pamphilum dari, nec navem  
venisse nec Titium COS. factum, satis est aliquod eorum fieri, ut  
pœna committatur: Ita si aliquid eorum fieri volumus, navem  
venisse aut Titium COS. factum, necesse est nihil eo-  
rum fieri, ut pœna committatur. *Baro ad. 13. de Re dub. 26. 26.*  
Ait Imperator: Utrumque per ignorantiam dependerit. Ut e-  
nim indebiti condictio sit, oportet per ignorantiam solutum esse  
*l. 1. in f. ff. h. t.* si enim consultò, donatum videbitur, *l. cujus per  
errorem. 53. de R. J. l. qui fundum 7. §. si servus. ff. pro emt.* licet eâ  
mente dederit, ut repeteret *l. 50. ff. de cond. indeb.* vel tutus fue-  
rit exceptione perpetuâ *l. si is qui 24. l. fidei commissum 62. h. t.*  
quia illic propositum in animo retentum non possit effectum pa-  
rere; Hic verò, qui omisâ exceptione sciens solvit, exceptionem  
remi-



remisisse censendus est. *l. si quis delegaverit 12. ff. de Novat.* Quid ergo ignorare debet, ut repetat? Jus an factum? Finge Titium nostrum credidisse, ex obligatione alternativa seu disjunctiva utrumque esse solvendum; jus ignoravit. Fac rursus putasse, se conjunctim & Stichum & Pamphilum promisisse, in facto error  
27 est. 27. Et sunt, qui nihil referre putant, hoc an illud ignoretur, ut competat condictio. Et cum de ignorantia facti nulla sit dubitatio: De altera, quæ est juris videndum. Ex hac verò conditionem dari, probari videtur ex *l. 7. ff. de I. & F. I.* ubi dicitur juris ignorantiam suam petentibus non nocere: sed loquitur hic textus de eo, qui propter jus in re, quod habet, rem actione reali persequitur. Id enim patet, cum ex verbis, *suam petentibus*, quod non competit condictionibus, ubi agit non Dominus, & petere, usurpatur de actione reali: tum ex necessariâ habitudine, quæ est in *d. l. 7.* inter acquisitum & petiturum. Hæc enim Papiniani mens est: Quemadmodum causa ipso jure nulla, quam validam errore juris quis putat, rem non facit accipientis: ita oportet, ut nec noceat petenti, vel exceptionem pariat possidenti. Cum igitur loquatur de eo qui jus in re retinuit, non potest ad hunc pertinere casum, ubi translatum, adeoque amissum est dominium. At verò quin solutio, etiam errore juris facta, sit modus amittendi dominium jure probatus, & causa, non sanè jure nulla, sed valida ad amittendum solventis dominium, nec negare ipsi possunt, qui ex juris errore condictionem largiuntur, quam, si id negarent, largiri utique non possent. Nec obstat, quod error impediat translationem domini *l. 3. §. pen. ff. de cond. caus. dat. l. si procurator 35. ff. de A. R. D.* Nam id eo in errore demum verum, qui est in ipsa solutione, sive iis, quæ ad essentiam solutionis pertinent. In proposito autem error nec in solutione nec in re soluta; sed in causa solutionis est, puta, si putabat, se teneri ex stipulatione, cum non teneretur. 28. Et ita intelligi etiam debet, quod in  
28 *l. 8. ff. de I. & F. I.* omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocere dicitur. In eo, quod amisi, recuperando, ac rursus acquirendo, non debet mihi prodesse stultitia, id est juris ignorantia, uti hoc modo exponitur, in *l. ult. §. 3. de I. & F. I.* puta si quid amisi solutione, vel temporis præscriptione *l. scire. C. de præsc.*



de praesc. 30. annor. Facere tamen potest, si non accessit causa ad  
dominium transferendum habilis, ne quid hoc solo errore mei  
amittam. Nemo enim errans rem suam amittit. l. 35. de A. R. D.  
Et est exemplo l. 79. de leg. 2. l. 54. de R. V. l. 8. C. de I. & F. I. Uti  
rectè Cujacius in Papiniano suo ad d. l. 7. Duarenus ad l. 10. Cod.  
de I. & F. I. ut & ad tit. de cond. indeb. c. 3. p. in 904. Donell 1. com.  
21. & ad l. 6. C. h. t. Baro ad §. 1. Inst. Quibus modis obl. toll. (At  
quanti Jcti!) docuerunt. 29. Convenit & Græcis Interpp. Ba- 29  
silicor. l. 24. tit. 6. scholia. ibi: τὸ νόμον ἐνθα φαίνεται, ἀλλὰ μὴ νό-  
μον ἠγνόησαν. Ὁ γὰρ μὴ κατὰ φάσμα, ἀλλὰ κατὰ νόμον ἀγνοίαν κα-  
ταβαλὼν ἰνδεβίτως, & ῥεπεπιτέυθ, ὡς ἀνήνεκται βιβ. α. τὸ κωδ. πτ.  
ιη. διατ. l. 30. Non defunt tamen & post eos, quibus adhuc ali- 30  
ter videtur. Quos inter & Arnoldus Vinnius, vir alioqui de Juris-  
prudentiâ non malè meritis, qui illustr. quest. lib. 1. c. 47. maximè  
moveri profitetur hoc Papiniani responso. Videturque sibi per-  
spiciuè evincere ex eo, per errorem juris indebitum solutum con-  
dici posse. Nam, ait, si hoc negamus, illud fateamur necesse est, er-  
rorem juris in amittendâ re suâ cuius nocere, contra sententiam Pa-  
piniani. Quod ego non capio. Nam si ad propositionem Papinia-  
ni, quæ universalis negativa videtur Vinnio, hoc modo: Nemini  
nocet ignorantia juris in damnis amittenda rei. Si, inquam assu-  
mas, nocere eam solventi indebitum, certè non contrariam, quæ  
est universalis affirmativa admittis, vel cogaris admittere, sed con-  
tradictoriam, seu particularem affirmativam; quæ est, cuidam ju-  
ris ignorantia nocet, nempe solventi indebitum. Non ergo pe-  
riculum erat, ne negatâ conditione ex errore juris, poneretur  
necessariò errorem juris cuius nocere. Præsertim quia ad eò cer-  
tum non sit, propositionem Papiniani universalem esse. Cum  
omnibus non æquipolleet, quibusdam, quod Duarenus etiam hic  
respondet. Sed quidquid tandem ejus fuerit, parum ad rem fue-  
rit, cum loquatur Papinianus de damno rei amittendæ. Hic au-  
tem res sit de damno rei amissæ. 31. Sed responsionem hanc, quâ 31  
condicens non de re amittendâ laborare dicatur, sed de amissâ,  
vocat captiosam Vinnius, quia hic non de tempore conditionis  
instituentæ queratur, sed factæ solutionis. Quo solutionis tem-  
pore, laboret utique de re amittendâ, nondum amissâ. 23 Ve- 32  
rum

B

rum



rum enim verò fingamus secundum Vinnium, mulierem, quæ ex  
intercessione suâ se efficaciter teneri opinabatur, solvere. Ea dum  
solvit, si damnum rei suæ amittendæ evitat, beneficio ignorantia  
juris, post solutionem certè nunquam laborare potest de re amissâ.  
Si, *inquam*, per juris ignorantiam secura est, ne rem suam amittat,  
dum solvit, non indigebit postmodum auxilio quasi de re amissâ,  
quam non amisit, ignorantia juris obstante. Quomodo ergo dabit ei  
Vinnius condictioem indebiti, in quâ omninò opus est amisso, translato  
dominio, re per solutionem alienatâ. Si verò solvendo, seu tempore  
solutionis amittit dominium, utique ab eo tempore condictioem laborabit  
de damno rei amissæ, non amittendæ. Et, *si negat Papinianus* (sunt  
verba Vinnii) *errantem in jure rem suam amittere, videlicet sic, ut eam  
nunquam possit recuperare*, oportet eum affirmare, quod errans in jure  
rem suam amittit tempore solutionis, ut possit recuperare, tempore  
condictioem, adeoque ut ex tempore solutionis laboret, non de re  
amittendâ, vel damno rei amittendæ, sed amissæ. Porro quod ait idem  
Vinnius, errore juris non ita amitti rem, ut non possit recuperari,  
hoc ipso vult, amitti quidem, sed ut recuperari possit. Concedit  
igitur, ignorantia juris rem esse amissam, tempore solutionis, quia  
alias recuperare non posset, & quia potest recuperari, non agitur  
de damno rei amittendæ, (cui non recuperato sed cauto opus est, ne  
amittas) verum de amisso. Aut fateatur, qui rem ita jam amittit,  
laborare adhuc ne, quod amisit, amittat. 33. Præterea  
adducit textum, quem evidentem appellat, *l. 7. ff. de Cond. ob  
turp. caus.* ubi ex stipulatione, per vim extortâ, solutum repetitur.  
Præsupponit, ignorantia competentis exceptionis doli vel metus  
solutum esse. Sed *evidentiam* adhuc requiro. Non enim ob ignorantiam  
fit repetitio: sed ob turpem causam, sive sciverit, sive ignoraverit  
exceptionem sibi competere. *Dices*: Gnarum exceptionis solviffe non  
posse præsupponi, quia sic repetitio ei non foret competitura, solutione  
quippe spontaneâ metum & turpitudinem purgante: *l. 2. C. de eo quod met. caus.*  
Imò donasse præsumi, si sciens remittat exceptionem *arg. l. si quis delegaverit.  
12. ff. de Novat.* Sed quid inde? Neque sic tamen propter ignorantiam,  
sed ob turpitudinem daretur condictio, dum solvit, adhuc



huc metuens, si exceptione utatur, denuo concussum, seu vim sibi  
illatum iri. Aliud ergo est, ignorantem solvere, aliud, ob ignoran-  
tiam repetere. Utut ergo sciens exceptionis solvir, adhuc tamen,  
metus, qui in stipulatione intervenerat, durat, etiam in solutione,  
quæ non sponte facta præsupponenda, sed per actionem, aut a-  
ctionis paratæ metum. 34. Nihil magis obtinet *per l. qui se* 34  
*debere. 7. ff. de cond. caus. dat.* Unde enim constat, de errore ju-  
ris sibi agi? Tractat Julianus, de eo, qui se pecuniam mulieri debere  
putabat, quam non debebat. Hic mulieris jussu, cujus se credito-  
rem putabat, eam pecuniæ quantitatem dotis nomine tertio sol-  
vit. Nuptiæ non fuerunt secutæ. Agitur de repetitione ob cau-  
sam dati, causâ non secutâ? Quæritur, cui hæc condictio danda?  
Mulieri, an credito ejus debitori? Si ignorans solvit putativus  
creditor, Nerva & Atticilius ei dant condictionem causâ dati,  
Nullum verbum de condictione indebiti, nullum de juris igno-  
rantia? Non qui erat mulieris falsus debitor, & sponsi debitor,  
quoque erat putativus? sed omnino verus, ex stipulatione, & sol-  
verat itaque non indebitè, qui ex causâ stipulationis solvebat nul-  
lâ vel juris vel facti ignorantia. Poterat tamen se tueri exceptio-  
ne doli adversus sponsum, si nuptiis nondum secutis petiisset. *Sed*  
*his locis, ait Vinnius, agi de juris errore patet, ex eo, quod agitur de*  
*facto proprio:* Ain' verò? Si hoc juris ignorantiam arguit, ubi  
quis factum proprium ignorat, jam quædam ignorantia facti, erit  
ignorantia juris: Sed & multi casus, quibus ex hac ignorantia  
Icti sub hoc titulo condictionem admittunt, in posterum expun-  
gendi erunt. *Vide l. sed et si. 22. ff. h. t.* 35. Excipiuntur autem 35  
duo casus, quibus solutum juris errore repetitur. Prior; si testa-  
tor heredi remiserit cautionem de legatis præstandis, heres autem  
caverit, existimans cautionem remitti non posse. *l. 1. pr. vers. si ve-*  
*rò. ff. ut in possessionem legat.* Errat hic heres in jure. Nam igno-  
rat, rescripto D. Marci testatori remissionem indulgeri *l. 2. C. ut*  
*in poss. legat. l. 46. de pact.* sed nihilominus datur ei condictio *d. l.*  
*1. pr. ff. ut in possess. leg.* 36. Alter est si mulier ignorans se tu- 36  
tum esse exceptione Scti Vellejani solverit pro eo, pro quo inter-  
cessit. Ignorans beneficium juris sibi competentis ex Scto,  
adeoque errat in jure. Nihilominus propter sexus fragilita-  
tem



tem ei soluti repetitio non denegatur. l. quamvis. 9. ff. ad Sca.  
Vellej.

## CAPUT II. Continuatio prioris.

1. Continuatur verba textus.
2. Indebitum, quot modis dicitur.
3. Indebitum est vel naturaliter, vel civiliter.
4. Condictio datur ob solum naturale indebitum.
5. Consideratur l. cum is. 32. §. mulier. h. t.
6. De operis liberti.
7. Incipit tractari de pupilli, libertati proximi obligatione.
8. Sententia propria de ejus obligatione.
9. Ex conventionem suam obligatur, etsi non locupletior.
10. Sed certo modo, qui explicatur.
11. Expenditur l. 41. h. t.
12. Aliud esse, non obligari naturaliter, aliud non debere.
13. Ubi ex re venit obligatio, pupillus non obligatur, nisi locupletior.
14. Respondetur ad l. 95. §. 2. de solut.
15. Item ad l. 28. §. 1. Quand. di. leg.
16. Et ad l. 44. de solut.
17. Explicatur l. 21. ad L. Falc. &c.
18. Nemo obligatur nat. ad solvenda legata ultra dodrantem.
19. Condictio non datur ob debitum merè civile, quod duplex.
20. 21. Obligatio naturalis tollitur pacto de non petendo, jurjurando, non civilis.
22. Explicatur l. 26. §. 7. h. t. & l. 56. h. t.
23. Re judicata non tollitur nat. obl.
24. Altera species debiti merè civilis.
25. Casus ubi ob debitum naturale solutum repetitur.

1. **A** It Imperator: Dubitabatur, cujus rei daretur à legibus ei  
repetitio. Utrumque solutum fuit, cum alterutrum deberetur. Alterutrum ergò fuit indebitum. 2. Indebitum tot modis dicitur, quot oppositum ejus, debitum.  
3. 3. Ideoque aut indebitum est naturali aut civili jure aut utroque.  
4. 4. Ut detur condictio, solo naturali jure indebitum esse sufficit, l. si quod 64. h. t. l. naturaliter 13. ff. h. t. Hinc quod dominus servo de.



vo' debuit, si manumisso solvit *l. 64.* Vel servus si quis ejus nomine solvat, vel ipse manumissus *l. 13. h. t.* non repetunt. Nec frater à fratre, in potestate *l. 38. h.* Quia solvunt naturâ debitum, etsi civiliter debuerant. 5. Hinc in *l. cum is 32. §. mulier ff. h. t.* mulier non quælibet, sed quæ officio pietatis tenetur, ut mater & avia, ut cogi etiam possit *l. neque mater. 14. C. de Jur. dot.* putans ignorantia facti, se obligatam ad solvendam dotem puellæ, dotem solvens non repetit, quia, etsi erravit in eo, quod promississe credidit: Adhuc tamen naturaliter debebat, ex causa pietatis. 6. Similiter Libertus opinans se operas Patrono debere ex stipulatione, cum stipulatio nulla intervenisset, officiales non potest repetere. Nam adhuc subest naturalis debitio, propter beneficium manumissionis. Fabrilium autem æstimatio repeti potest, quia nec naturali, nec civili jure debentur *l. 26. §. 2. ff. h. tit.* 7. Quid verò de pupillo pubertati proximo? Hic enim modò dicitur sine tutoris auctoritate obligari naturaliter *l. 21. ff. ad L. Falc. l. 64. ff. ad Scf. Treb. l. 44. ff. de solut. l. 1. §. 1. ff. de Nov.* Cui consequens foret, ut si quid ex tali obligatione solvisset, repetere non posset, per *l. 10. de O. & A. l. 16. §. 4. de fidej. l. 13. l. 19. l. 38. l. 63. h. t. l. 9. in f. l. 10. ad Scf. Mac.* Modò ita obligari negatur *l. 41. h. t.* ubi dicitur solventem eum ex tali obligatione posse repetere, addito, quia nec naturâ debeat. Idem confirmatur ex *l. pupillus. 59. ff. de O. & A. l. 127. de V. O.* 8. Multæ sunt sententiæ, multæ Doctorum visiones, quibus immorari non est nostrum. Quare dicemus in universum, pupillum de quo quæstio, ex conventionem juris Gentium obligari naturaliter, etsi locupletior non est. Hæc enim est naturalis illa æquitas, quæ in *l. Stichum. 95. §. naturalis. 4. ff. de solut. & l. b.* requiritur ad naturalem obligationem, conventionem & consensu contractam, fides scilicet dictorum, ut aliam frustra quis requirat cum Giphanio lect. Altorph. ad *l. 46. num. 4. de O. & A.* Cujus enim fidem secuti sumus, is naturâ debet, ait Paulus *l. 84. §. 1. de R. J.* 9. Quod obligetur ita, ratione locupletationis nullâ habitâ, apparet ex *l. 1. §. 1. ff. de Nov. §. pen. Inst. Quib. m. toll. obl. l. 127. de V. O.* Dicitur enim *d. §. pen.* posterior pupilli obligatio, in quam prior translata est, *inutilis, nulla, rem omninò amitti.* Quod de locupletiore pupillo dici non poterat,



contra quem actio cum effectu datur. *l. pupillus. §. pr. ff. de auct. tutor. l. sed mihi. §. ff. Commod.* Obligatur itaque nec locupletior  
10 pupillus. 10. Sed ita, ut jus proprium alteri, ceu creditori pupilli, inde non detur. Fieri enim posse, ut obligatio fit in obligante sese, & nullum jus in alio, exemplo debiti ex misericordia, gratia, pollicitatione, docet optimè Grotius *de J. B. lib. 2. c. XL. nu. 3.* Hinc etsi legislator civilis obligationi naturali non potest obrogare, ne sit in obligante se alteri; potest tamen jus ex hac obligatione creditori quærendum prævertere, illudque tollere, vel impedire. Exemplo est mulieris intercessio. Quin enim obligetur naturaliter nec dubium est, sed alteri jus nullum exigendi quæritur. Denegatur enim in eam actio. *l. 2. §. 1. ff. h. r.* Pupillus itaque ex his causis, qui locupletior non est, obligatur, naturaliter; Sed creditori jus non datur exigendi, nec solutum retinendi, ideoque competit solventi condictio indebiti, quia respectu ejus, qui vice creditoris est, indebitum est. Secus est, si locupletior factus. 11.  
11 Sed huic sententiæ adversari videtur Neratius *l. 41. de Cond. ind. ait, quod ex promissione suâ, adeoque consensu, pupillus sine tut. auct. solverit, repeti posse: Quia nec naturâ debeat.* Negat ergò Neratius, Pupillum naturâ debere. An negat & naturâ obligari? Domitianum hoc ais fortasse. Quis enim debitor, nisi qui obligatus?  
12 12. Sed audiemus & Jctum Paulum in *l. 84. §. 1. ff. de R. J. Is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet,* ait, Assumo; Jam non omnem naturaliter obligatum jure gentium dare oportet: seu contra quemvis naturaliter obligatum non est actio vel exactio. Ergò nec omnis ita obligatus, naturâ debet. Assumatum à nobis probatum est supra, exemplis obligati ad eleemosynas, itemque ex gratiâ, pollicitatione, & aliis modis. Sed & Modestinus in *l. 108. de V. S.* accedit, qui debitorem solum intelligit, à quo invito exigì possit. Et Ulpianus verbum, debuit, omnem omninò actionem comprehendere asserit: Ergò debere non obligationem nudam, sed talem arguit, unde actio. *l. pecunia. 178. §. ult. de V. S.* Hinc nec debere servus, nec ei deberi potest, *l. 41. de pecul.* quem obligari naturaliter non puto dubitari. Non negat ergò Neratius, pupillū ex promissione seu consensu naturaliter obligari, debere autem, naturâ negat. Non ergò impeditur obligatio, sive locu-  
ple-



pletior sit, five non sit pupillus pubertati proximus: sed si locupletior sit, quacunque ætate, non obligatur solùm: sed & naturâ debet. Haftenus de obligatione ex consensu. 13. Quid verò si ex re obligatio? Respondeo, non obligari, nullam prorsus obligationem esse, nisi locupletioris. *l. 13. §. 1. b. t.* Sic non obligatur naturaliter ex soluto sibi indebito, quia obligatio non ex consensu, sed re venit, ob æquitatem naturalem, non illam superiorem, de quâ *num. 8.* sed alteram hanc, ne quis locupletetur cum alterius injuriâ. Ita nec ex mutuo obligatur naturaliter *l. 59. de O. & A.* Quia & hæc obligatio non ex conventionem jure gentium, sed re nascitur, cni inest synallagma. 14. Non minuit hanc explanationem *l. 95. §. aditio. 2.* ubi creditor pupillo succedens retinet creditum suum, non pro eâ parte, quâ locupletior pupillus, sed in solidum. Unde concludunt alii, obligationem ex mutuo constituisse, etiam ubi pupillus non locupletior. Sed nihil profertur, ex quo obligatio non locupletioris apparet. Dicitur, quod aditio pro solutione sit. Quemadmodum autem solvere pupillus, etsi non obligatus, potuisset creditum solidum, etiam malè perditum, & neque repetere solutum: Ita si creditor ei succedit, pro eo est, ac si solvisset, nec repetisset. Non ergò, ut dixi, hîc subest ulla obligatio. 15. Plus facit negotii *l. cum illud. 25. §. heres. 1. ff. Quando di. leg. vel fideic. red.* ubi heres jubetur dare Titio, quod Sejus pupillus debebat: Proponitur autem Sejus pupillus numos accepisse nec factus esse locupletior. Et tamen naturaliter obligatus dicitur. Responderi potest, cum Cujacio & Giphanio, quod particula negativa, *nec locupletior*, à pandectis Florentinis abest. Ergo de locupletiore agi. Cui necquidquam se opponit Robertus, Dares scilicet Entello, *lib. 2. recept. c. 17. lib. 3. animadv. c. 21. & lib. 3. Notar. c. 21.* Id quod inde firmatur magis, quod loquitur Jctus de Sejo solvente id, ex naturali obligatione, quod repetere non potest. Ergo de eo, unde locupletior *l. 13. §. 1. b. t.* Sed & aliter expediri possumus, nempe, quod de mutuo hîc ne verbum quidem: *Numos si accepisset*, ait Jctus, poterat etiam ex stipulatione accepisse. Denique non necesse est, ut naturalis illa obligatio ex mutuo antè contracto, sed ex consensu pnpilli, quem leganti testatori accommodare poterat ex post facto, Jctus accipiatur.



16 tur. In quod proclivior sum. 16. Eadem responsio est quoque  
ad *l. in numerationibus. 44. vers. item si pupillo. ff. de solut. & liber.*  
Ex quo enim pupillus legatarius agnoscit voluntatem testatoris,  
ut solvat quod ab eo acceperat, jam ex consensu novo debere  
naturaliter incipit, quo intuitu debitum illud naturale Jctus u-  
surpat. Denique sicubi aliis locis dicitur obligari pupillus ex  
mutuo naturaliter, ut in *l. 31. ff. ad L. Falc.* id fit, quia erat locuple-  
17 tior, 17. quod clarè patet *ex vers. adeò autem*, ubi denegatur pu-  
pillo soluti repetitio, quæ neganda non fuisset, si locupletior non  
fuisset, *l. interdum 29. l. quod pupillus 41. de cond. indeb. l. apud  
Celsum 4. §. si quis pupillo 4. de dol. m. & m. exc.* Ita locupletior  
pupillus & in *l. 64. pr. ad Sct. Treb.* proponitur, quia *ex vers. & si  
ejus* constat, pupillo conditionem denegari. Eodem modo ex  
commodato non aliter tenetur actione commodati utili, nisi lo-  
cupletior *l. 3. pr. ff. Commod.* Ex negotiorum gestione, tam pu-  
pillus gestor, quàm pupillus cui gestum est, non aliter, quàm locu-  
pletior factus obligatur. *l. 3. §. 4. & l. 6. pr. de N. G.* Manet ergò  
hypothesis, quod ubi naturaliter debetur, ibi non sit soluti repe-  
titio, ut nec exceptionem in pupillo admittat. 18. Sic à quo  
18 ultra dodrantem legatur, naturaliter non obligatur, legata præ-  
stare integra, si itaque solvit errore facti potest repetere, *l. error.  
7. C. ad L. Falc.* Naturaliter autem tum demum obligatur, si a-  
gnoscat voluntatem defuncti. At verò tum non solvit ex errore.  
Eadem ratio est, si legata in testamento minus solenni relicta.  
Non enim debentur naturaliter, quâ ratione ut debeantur in sti-  
pulationem deducta proponuntur. *l. 62. de cond. indeb.* Deben-  
tur ergò vel ex conventionem, vel agnitionem, ut *l. 2. C. de fideic. l. 38.  
de fideicom. libert.* 19. Dixi, ad repetitionem, seu conditio-  
19 nem ejus, quod ceu indebitè solutum sit, sufficere, si naturâ non  
debeatur. Ut ostenderem, deficiente naturali debito, conditio-  
nem deficere. Ergò conditio ~~non~~ datur, ubi solo civili jure de-  
betur. Quod fit non solùm, si naturaliter & civiliter simul debe-  
batur, naturali obligatione extinctâ. Sed & si ab initio solo ju-  
20 re civili obligatio constitit. 20. Quod prius genus attinet, species  
hæc esto; ex stipulatione debebam centum. Obligatio naturalis  
adeest & civilis. Fit pactum de non petendo. Tollitur naturalis  
obli-



obligatio, l. 95. §. 4. de solut. non item civilis. §. *præterea Instituit.*  
*de Except.* 21. Item debebam ex mutuo, adversario jusju- 21  
randum mihi deferente, juravi me dare non oportere: Naturalis  
obligatio jurejurando extinguitur. d. l. 95. §. 4. de solut. Qui e-  
nim conditionem jurisjurandi defert, tacite paciscitur de non pe-  
tendo, debitumque remittit, conditione impletâ. Remanet au-  
tem civilis. Non est enim jusjurandum modus tollendæ obliga-  
tionis jure civili. Itaque his casibus, quia naturalis obligatio sub-  
lata est, datur reo exceptio perpetua seu peremptoria, quâ contra-  
agentem se tueri potest; Et si solvat, competit repetitio. l. cum is,  
32. §. 1. l. si quis jurasset. 43. de Cond. indeb. 22. Quo pertinet 22  
& species ista leg. si non sortem. 26. §. adeo. 7. b. t. Quidam emit  
fundum à Titio, testamento facto venditorem liberat obligatio-  
nis nexu, per damnationem heredis, hoc ipso naturalis obligatio  
tollitur: Venditor tamen tradit fundum heredi emptoris. Dabi-  
tur conditio, quemadmodum si heres fundum petivisset, exce-  
ptio perpetua venditori competisset. Similis species est, etsi ali-  
quantum obscurior, in l. sufficit. 56. b. t. Pactus est quis, ne con-  
veniat, donec Titius Consul fiat. Hic non extingui naturalis  
obligatio, sed differri videtur ad tempus quo consulatum Titius  
init. Solvit interim debitor, quæritur an possit repetere? Affir-  
mat Papinianus, obscura decidendi ratione: Ut enim pactum, ait,  
quod in tempus certum collatum est, non magis inducit condi-  
tionem, quam si ex die debitor solvit; ita prorsum defensio juris,  
quæ causam incertam habet, conditionis instar obtinet. Sensus  
is est: Quemadmodum si pactus sim, ne petas ante Kalendas Ja-  
nuarias, hoc pactum non efficit, ut, si antè solvam, repetere pos-  
sim non magis, quàm si post dictas Kalendas solvissem: Ita in-  
contrarium pactum de non petendo, quod causam incertam ha-  
bet, quia in tempus incertum collatum est, ob dubium eventum,  
conditionis instar habet. Quid inde? Nempe, ut quemadmo-  
dum si sub conditione debeas, ante solvens, possis repetere: Ita  
& hic possis. Nam dubius hic eventus pro conditione est. Quid  
enim inter est, pactus ne fueris ita: non solves donec Titius COS.  
factus fueris: An hoc modo: Cum Titius COS. factus fuerit, sol-  
ves. Posteriori modo, pendente conditione solvens, utique repe-  
tes,

C



tes, non quasi obligatio esset extincta, sed quia adhuc est indebitum. Deficiente autem illâ, obitu Titii, naturalis obligatio tollitur. 23. Quid de re judicatâ? An & hæc tollit naturalem obligationem? Finge: Quidam ex mutuo debebat centum: absolutus per sententiam, solvit nihilominus. An repetet? Res in eo est, an naturalis obligatio duret nec ne? Sanè nihil est, quamobrem extincta sit. Nulla enim æquitas est, quæ creditori jus suum suadeat auferre. Vinculum enim naturale, quo obligatio sustinebatur, conventionis æquitate debet dissolvi *d. l. 95. §. 4. de solut. at. hîc nulla conventionis æquitas est.* Dices: Possit tamen legislator efficere, ne obligatio hæc naturalis habeat effectum. Utrique: Sed noluit. Ideoque non potest solvens repetere, ut ut exceptione 24 erat tutus. *l. Judex. 28. l. Julianus. 60. h. t.* 24. Haftenus de primo genere obligationis merè civilis: Sequitur alterum, ubi ab initio nulla æquitas naturalis obligationi adstiruit. Quod fit in promissione metu extortâ. Deest enim tali promissioni æquitatis vinculum, quia causa voluntatem ad eligendum impellens jure naturali est injusta, nempe injuria per metum illata, adeoque non æquitatis, sed iniquitatis vinculum promissionem adstringit; nec fidem promittentis spectat, aut sequitur, sed coactionem, quæ vim facit. At vinculum naturalis obligationis ex promissione, est, quod fidem secuti sumus alicujus *l. 84. §. 1. de R. J.* Hinc si sciens se tutum exceptione siue ignorans, repetit *l. 7. ff. de cond. ob turp. vel inj. caus.* 25. Firmata ita est regula, quod ut repetitio detur, solutum naturaliter oporteat esse debitum: Et quod ibi cesset conditio, ubi naturâ debeatur. Cujus tamen quædam sunt exceptiones, à Legislatore Romano, propter rationem status admittæ, auctoritatem scilicet & firmitatem judiciorum, litesque minuendas. I. Est, si quis injustè condemnatus, solvit. Hic enim nulla, ne naturalis quidem obligatio erat, ob quam condemnaretur, quare solvit indebitum quidem, qui ita solvit: Sed quia jure positivo res judicata pro veritate habetur *l. ingenuum. 25. de st. hom. l. res judicata. 297. de R. J.* legislator conditionem ex hac causâ denegavit. *l. si fidejussor. 29. §. in omnibus. ff. Mand. l. 65. §. 2. ad St. Trebell. l. 36. fam. ercis.* Quod potest, salvo jure naturali. Nam modum & terminum juris, naturaliter alicui compet-



tentis vel acquirendi ponere in ejus arbitrio est. l. 6. de J. & J.  
 II. Excipitur, si quis ex chirographo, quod spe futurae numerationis dederat, numeratione nullâ factâ, solvit: non enim repetit. Et si enim naturâ indebitum est; Potest tamen legislator jus repetendi certis rationibus restringere, & determinare, iisque non servatis repetitionem denegare.

### CAPUT III. Ubi proponuntur dubitandi rationes.

#### SUMMARI A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Dubiosa Imperatoris questio.  | quod electio debitoris.   |
| 2. Dissensio Jctorum priscorum.  | 10. Exceptiones hujus regulae.                                      |
| 3. Rationes Jctorum, existimantium stipulatoris esse electionem, seu ejus qui accepit. | 11. Si stipulatoris est electio, non transit ad alios.              |
| 4. Altera ratio.   | 12. 13. 14. 15. An hoc intelligendum, de transitu in heredes.       |
| 5. Ulpianus Procaleanis assensus.  | 16. Secunda exceptio.   |
| 6. Papinianus à Sabinianis.  | 17. Alia exceptio.  |
| 7. Elogium Juliani.  | 18. 19. Pragmaticorum applicatio ad hanc exceptionem examinatur.    |
| 8. Rationes Sabinianorum.  | 20. Stipulator, quo casu ejus electio, an voluntatem mutare possit. |
| 7. Consensus utriusque sectae.   |   |

**H**is ita præmissis, sequitur ipsa jam dubitatio: *Dubitabitur, inquit Imperator, utrum servi, an pecunia, & utrum stipulator an promissor habeat hujus rei facultatem? Cum enim, ut diximus, ex obligatione disjunctivâ, utroque soluto, alterum ut indebitum repeti potest, proximum erat, videre utrum duorum foret reddendum, adeoque & cui electio competeret?* 2. Et Imperator testatur, Ulpianum inter & Papinianum dissentum fuisse, illo electionem arbitrante ei, qui utrumque accepit, cui solutio facta, ut reddat, quod sibi placuerit, & tam  
 C 2 Mar-



Marcellum, quam Celsum conformantes retulisse. Electionem  
ergo stipulatori seu creditori Ulpianus dedit, utrum ex his retine-  
3 re velit utrum reddere. 3. A quo juris ratio perpetua facere  
videbatur: Nempè quod electio in alternativâ sit debitoris *l. 106.*  
*de V. O. l. 2. §. 3. De eo quod cert. lo. l. 34. §. 6. ff. de contr. emt. l. 10.*  
*§. ult. ff. de jur. dot. c. in alternativis 70. de R. l. in 6.* At post so-  
lutionem, stipulator, qui accepit indebitum, est debitor, ut qui al-  
terutrum restituere cogitur. Sicut enim promissor habebat ele-  
ctionem antequam solveret, quia erat debitor: Ita post factam,  
solutionem stipulator debet habere electionem, quia nunc ipse  
4 est debitor, & quidem disjunctivè, ut restituat alterutrum. 4.  
Deinde & hæc altera erat ratio, quia obligationis alternatæ hæc  
est natura, ut utraque res debeatur, velut supra probavimus. Er-  
go creditor potest utramlibet rem retinere, quasi debitam, nec  
poterit is, qui solvit eam repetere. 5. Probavit igitur Ulpia-  
5 nus Proculejanorum sententiam. Fuit enim Celsus ex Proculeja-  
nis, quorum vestigium in hanc rem exstat *l. si non sortem. §. pen.*  
*ff. de cond. indeb.* sed & Marcellus Proculejanus fuisse videtur  
Merillio *l. obs. 28.* cum quia Celso assentitur in quæstione præ-  
senti, tum quia Neratium fratrem habuit ex hac schola *l. quæsitum*  
6 *est. 12. §. idem respondit. 43 ff. de instr. vel instr. leg.* 6. Ab  
altera Sabinianorum parte erat Papinianus, qui promissori, u-  
trumque persolventi electionem donat, ut loquitur Imperator,  
utrum condicere velit, quia ab initio illius fuerat electio, quem  
vellet solvere. 7. Et hujus sententiæ, inquit Imperator, sub-  
7 limissimum testem adducit Salvium Julianum, summæ auctori-  
tatis hominem, & prætorii edicti perpetui ordinatorem, quem  
simili elogio mactat Imp. in *l. 2. §. sed quia 18. C. de vet. jur. enucl.*  
quod sit legum & edicti perpetui subtilissimus conditor & *l. 15. C.*  
*de usufruct.* summus auctor Juris scientiæ dicitur eidem Justinia-  
no, sed & ante eum Leo & Anthemius Julianum tantæ existima-  
tionis virum, atque disertissimum jurisperitum usurpant, *l. 5. C.*  
*de bon. quæ lib.* Fuit Julianus ex Sabinianis *l. 2. in f. de O. I. de*  
edicto perpetuo, res notissima. Vide Jacob. Godof. *biblioth. jur. c.*  
*l. n. 6.* sententiæ autem hujus Julianæ vestigium est in *l. cum is. 32.*  
8 *pr. de cond. indeb.* de quo infra. 8. Ratio Sabinianorum  
erat



erat eadem. Nam quia electio est debitoris, debitorque sit promissor, debebat jus eligendi ei manere, quod habuerat ante solutionem, Fuit ergo hoc argumenti vitium ex his, quæ Græcis ἀντι-  
σπῆσις dicuntur, reciproca latinè Gellio, quale illud Evathli  
Magistro Protagoræ oppositum, & Biantis apud eundem Gellium  
5. N. A. 10. § 11. 9. Utrique ergò sectæ convenit circa hoc 9  
ἀξίωμα: In alternativis electio est debitoris. Quoties enim in sti-  
pulationibus aliquid ambigui, aut incerti est, quod aliunde con-  
jectura non potest explicari, verba contra stipulatorem interpre-  
tanda sunt, l. stipulatio ista 38 §. in stipulationibus ff. d. V. O. l. cum  
queritur 26. ff. de R. Dub. Donell. comm. 15. c. 2. Hoc enim præ-  
sumentur intendisse contrahentes, quod plerumque homines so-  
lent, nempe ut id promissor spondidisse intelligatur, quod sibi  
minus grave est, seu quod levius l. 12. § l. 109. de V. O. Hujus ta-  
men regulæ plures dantur exceptiones: 10. Una est & indubia 10  
illa, si pacto contrahentium data sit electio creditori, utrum petat,  
l. plerumque 10. §. ult. ff. de 7. dot. l. ubi 75. §. qui illud l. si quis sti-  
pulatus 112. pr. ff. de V. O. quod & tum fieri certum est, si quis stipu-  
letur ex pluribus rebus promissoris sibi unam sumere licere l. si sic  
stipulatus 93. ff. de V. O. 11. Sed hæc stipulatoris electio per- 11  
sonalis est, nec transit ad alios inquit l. 76. de V. O. 12. Id quod 12  
de transitu ex potestate in personam expeditum, scilicet si filius  
aut servus ita stipulati sint, obligatio quidem patri acquiritur, at  
electio non item. l. ult. pr. de V. O. Facta enim, ut personalia, of-  
fibus personæ inhaerent, ut vulgò dicitur, At verò de transitu re-  
præsentativo, qui fit in heredem, an nimirum hoc jus eligendi in  
heredem stipulatoris, etiam sui juris transeat, multa est disputa-  
tio. 13. Dd. veteres transitionem in heredem negare nun- 13  
quam animum induxerunt. Sic enim Bartolus in l. si sic legatum  
75. quæ ipsi est 78 §. si quis ita. Potestas eligendi mortuo credito-  
re transit ad heredem, qui præsumitur defuncti voluntatem scire  
l. si quis à filio §. si quis plures ff. de leg. 1. Hinc Zasius ad d. l. si sic  
legatum. n. 10. si stipulator, inquit, moritur, non facta electione,  
tunc jus eligendi transit in heredem, non principaliter & per se,  
sed comitative, postquam obligatio alternativa in heredem trans-  
iit, jam consequenter etiam electio, quæ ex ista obligatione con-  
se-



14 sequitur in heredem transit. Confer eundem *lib. 2. sing. Resp. 19. 14.*  
 Quæ sententia firmatur primò ex ipsa continentia *d. l. 76.* postquã  
 enim Jctus negaverat electionem transferri in Patrem vel domi-  
 num, opponit casum contrarium, quod arguit particula, *tamen* :  
*In heredem tamen transit.* At hæc oppositio non potest pertine-  
 re ad solam obligationem, eo quod in obligatione planè conve-  
 niunt pater & dominus cum herede. Ergo debet intelligi de obli-  
 gatione cum qualitate, cum electione. Deinde nisi ita intellige-  
 retur, ratione dubitandi prorsus destitueretur Jcti definitio. Quis  
 15 enim dubitet obligationem in heredem transire? 15. Dein-  
 de probatur exfertè *in d. l. si sic legatum §. ult. de leg. 1.* Ubi stipu-  
 lator, qui sibi electionem pactus erat, quod ei debebatur legave-  
 rat. Respondetur, heredem teneri præstare legatario actionem,  
 electionem habituro : Ergo transit ad heredem electio, ab here-  
 de in legatarium. Cui consentit *Paulus lib. 3. sent. in l. 19. ff. de*  
*opt. leg. §. l. 12. §. pen. de opt. leg.* Confer *Cujac. & Giphon. in l. 76.*  
 16 *de V. O.* Dissentit valdè *Donell. ad l. 76. d. t. §. 15. comm. 2.* 16.  
 Est & altera exceptio, secundum quam creditori electio confer-  
 tur quæ descendit ex rerum alternatione locorum alternationi  
 mixta. Veluti si quis ita stipulatus sit : Decem Romæ aut Stichum  
 Kapuæ. Nam ratione locor. stipulatoris electio est *l. 2. §. Scævola*  
*vers. & generaliter ff. de eo quod certo loco* scilicet ne tollas cre-  
 17 ditori actionem, dum vis ei servare optionem. 17. Item ex-  
 ceptio est, quando alterum in obligatione est, alterum favore cre-  
 ditoris adjectum ; quod alii sed minus convenienter efferunt, *ubi*  
*unum in obligatione, alterum in solutione,* ibi enim nulla est ele-  
 ctio, ubi unum tantum in obligatione est, nulla alternatio vel  
 18 disjunctio. 18. Exemplū ex Pragmaticis, Daniel Mollerus *1. Semest.*  
*27.* suggerit : Si mutuò sint data centum cum pignore, hoc pacto, ut  
 si stato tempore nō solveret debitor, molendinum eâ pecuniâ ha-  
 beret emtum creditor, quæritur, an veniente die creditor cogatur  
 molendinū habere emtū? Sed hæc profectò non est disjunctiva ob-  
 ligatio. In ea enim oportet, ut debitor obligetur ad alterutrū, ita ut  
 ipse teneatur dare, vel facere illud vel illud : At ubi ita convenit, ut  
 aut debitor solvat, aut creditor pignus in causam emti habeat, ob-  
 ligatur debitor ad unum tantum nempe ut solvat : Ita, si, ut *in l. 2.*  
*ff. de*



*ff. de L. commiss.* (quæ fundus est hujus traditionis) venditor ca-  
 verit; si ad diem pecunia soluta non sit, ut fundus sit inemptus, em-  
 tor ad unum præcisè obligatur, ad solvendum pretium: In altero  
 non est obligatio, quippe quæ ad solvendum debet esse, id est, dan-  
 dum vel faciendum, vel præstandum, non verò ad patiendum. *pr.*  
*Inst. de oblig. l. 3. ff. eod.* nec ulla obligatio, nedum alternativa, ad  
 distractum nasci potest. Denique ubi creditor non potest utrum-  
 que petere sub alternatione, quin alterutrum petens incidat in  
 pœnam plus petitionis, ibi non est obligatio debitoris alternati-  
 va. 19. Magis ad regulam appositum exemplum est, quod 19  
 Everhardus *n. 7. in loco à nat. altern.* proponit: si stipulatus fue-  
 rim decem intra mensem solvi, vel dare pignus, aut fidejussores.  
 Utrobique obligatur debitor. Sed quia posterior obligatio fa-  
 vori & securitati creditoris data, hinc concludunt Dd. non audi-  
 endum debitorem, si, quàm solvere, malit fidejussores dare, invito  
 creditori, vide *Colerum nostrum de process. ex se p. 1. c. 8. n. 36.* De  
 qua tamen fortè traditione dubitari possit. 20. Illud non præ- 20  
 tereundum, stipulatorem eligentem mutare voluntatem quan-  
 doque posse, usque ad litis contestationem. 21. Interest enim 21  
 utrum stipulatus sit: *Illud aut illud, utrum volam: An: utrum vo-*  
*luero.* Illic animum mutare potest, donec iudicium dicat; hic  
 non item *l. si quis stipulatus 112. pr. de V. O.* Verbum enim *volam*  
 tractum habet futuri temporis, & extensivum est ad omne tem-  
 pus futurum *l. filii. 6. §. 1. ff. ad Scf. Tertull.* Illud autem *voluero*,  
 habet significationem futuro præteritam, quod declaretur,  
 posteaquam voluerit, cumque præterit, revocari non potest *l. 106.*  
*l. eum qui 138 §. ult. d. l. vide Donell. 15. Com. 2.*

## CAPUT IV. De ratione decidendi.

### SUMMARI A.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. <i>Decisio Imperatoria.</i></p> <p>2. <i>Cur non decidat Imperator secundum pluralitatem. Car- provis laus, &amp; dignitas.</i></p> | <p>3. <i>Juliani &amp; Papiniani lau- des:</i></p> <p>4. <i>Rationes decidendi Impera- toris.</i></p> |
|---|---|

Jam



1 **J**am accedamus ad decisionem Imperatoris. Ait: Nobis haec  
 decidentibus Juliani & Papiniani sententia placet, ut ipse ha-  
 beat electionem recipiendi, qui & dandi habuit. Accedit ergo  
 2 Sabinianis Justinianus. 2. Quid ita? At à Proculejanis  
 tres erant: Ab istis non nisi duo? Cur secundum majorem  
 partem non definit? sanè ut in Senatu id observandum & inter  
 pares par fuerit, quorum prudentiæ præjudicium facere pericu-  
 losum: Vide Dn. Carpzov. *Patricium Aula Archi-Principalis Ele-  
 ctorio-Saxonica sublimissimum, Patronum, p. 1. decis. 82.* Ad Impe-  
 ratorem tamen non pertinet, cui, quod placeat, legis habet vigo-  
 rem, eique soli fraudi non est, sententias si non numeret, sed pon-  
 deret. Præcipuè ubi uterque & Julianus & Papinianus inter cæ-  
 3 teros prævalebant. 3. De Juliani elogiis supra dictum. Cui  
 accedat & hoc, quod indefessus discendi fuerit, ut refert Pompo-  
 nius *l. ap. Julianum. ff. de fideic. lib.* Papinianus autem ita inter  
 alios excellens *l. cum acutissimis C. de fideicom.* atque per suam  
 scientiam magnus, *Spartianus Severo*, ut studio quærerent veteres  
 Consulti, quo ei contradicerent. Vide *Ulp. l. 20. de minor. & Pau-  
 lum in l. 106. de V. O.* Sed & primâ statim ætate profecit. Vixit  
 enim triginta sex omninò annos, atque hoc ei datum, ut si nume-  
 rus æqualis, ejus partis præcederet auctoritates, in qua excellentis  
 ingenii vir Papinianus emineret, ita ut vinceret singulos, duobus  
 autem cederet *l. un. C. Tb. de Resp. prud.* ubi insuper Impp. notas  
 Pauli ad Papinianum damnant. Ejusque opinio adversus alios  
 probatur. *l. 3. C. de adq. & ret. poss. l. ult. de Inst. subst.* Vide  
 4 *Merill. ad h. l. pen. C. de cond. indeb.* 4. Sed non hac fini-  
 stetit Justiniani definitio, sed pressit omninò & rationem pondere  
 Proculejanos. Ita enim argumentatur: *Promissor habet ele-  
 ctionem in solvendo:* Ergo etiam *in recipiendo.* Ratio consecu-  
 tionis in eo vertitur, quod condictio indebiti resolvit solutio-  
 nem, & reducit rem in pristinum statum. Jam pristinâ causâ red-  
 dita electio erat debitoris. Nam indebitum non tantum solvit,  
 qui nihil debuit, sed & qui minus debuit quam solvit. Atqui in  
 hac specie promissor plus solvit dupliciter, & re, qui utrumque  
 solvit, & causâ, quia non est usus electione sibi competente, sed  
 imò eam solvendo amisit. Ergo per conductionem debet reci-  
 pere



perē plus illud. Confer Pacium Giphān. Donell. ad hanc nostram  
legem num. 11.

## CAPUT V.

### De legibus huic quæstioni affinibus:

#### SUMMARIA.

1. Sabinianorum sententiæ vestigium in l. 32. de Cond. ind. si in debito alternativo, soluto utroque, alterum apud creditorem extinctum fuerit.
2. Proculeianorum sententiæ vestigium relictum à Triboniano in l. 26. §. pen. eod.
3. 4. 5. In eâ lege duæ quæstionis. Prim. Decem aut Stichum promissis, si solvantur quinque, an cōcingat liberatio in quinque.
6. Acceptilatio partis, tollit obligationem pro parte.
7. Decisio pro negativa.
8. Ratio Celsi & Marcelli pro negativa decidendi.
9. Cur X. promissis & solutis. V. hæc quinque non possint repeti.
10. Cur diversum obtineat in acceptilatione,
11. Altera quæstio solutis V. & seruo, an stipulatoris sit electio, seruum reddituri.
13. 14. Ratio dubitandi & decidendi.
15. An decidendi ratio per socordiam Triboniani in Pandectis relictæ, contraria huic L. penult.
16. 17. 18. 19. 20. Multiplex Triboniani excusatio.
21. Judicium de singulis excusationibus.
22. Stichum aut Pamphilo debitis, si debitor unum, tanquam solum debitum solvat, an repetere possit.
23. 24. Dissensus inter Julianum & Celsum.
25. 26. 27. 28. diverse diversorum de hoc dissensu sententiæ & compositiones.
29. Duobus reis debendi Stichum aut decem si alter illud, alter hæc solvat, an in repetendo electio creditoris.
30. Differentia inter unum & duos reos.

**D**iximus vestigium sententiæ Sabinianæ exstare apud Julianum lib. 10. Digestorum in l. cum quis 32. pr. de cond. indeb. dicit Julianus, cum is, qui Pamphilum aut Stichum debet, simul utrumque solverit, si posteaquam aut uterque aut al-

D

ter



ter ex his desit in rerum natura esse; nihil repetet. Is enim remanet in soluto qui superest. Ratio dubitandi. Quod statim eo momento quo solvitur, obligatur, quasi ex contractu, accipiens, ad restituendum indebitum. At verò debitor speciei rei interitu non liberatur, sed proinde tenetur, ac si res superesset. *l. nemo super. 82. §. si post moram. 1. ff. d. V. O. propter moram.* Moram autem fieri dicit Pomponius, quando quis nulla difficultate impeditus, cum potuit, rem non tradidit, *l. ratio 3. §. quod si per emptorem 4. ff. de A. E.* Ratio decidendi: Quod etsi accipiens obligabatur ad reddendum, in obligatione tamen erat uterque servorum alternativè, & electio solventis ex mente Juliani. Non poterat ergo recipiens moram facere, priusquam interpellaretur. *l. si ex legati 23. ff. de V. O. & e-*  
*2* *ligeret promissor. 2.* Ut autem Julianæ opinionis vestigium relictum nobis in *d. l. cum is*: Ita Celsi & Marcelli opinio, quam sequebatur Ulpianus, proposita ab eodem Ulpiano existat in *l. si non*  
*3* *sortem. 26. §. pen. ff. de cond. ind. 3.* Ubi duæ quæstiones tractantur: Prior; an disjunctim promissis quantitate aut homine, *v. g. Decem aut Stichus* & postea solutis quinque, pars obligationis per  
*4* *imatur, an vero reliqua quinque aut Stichus postulari queant? 4.* In hoc dubio dubium non est, si decem soluta sint, Stichum peti non posse. Nonne ergo & parte horum decem, nempe quinque solutis, pars obligationis sublata videbitur. Ut quod juris in toto, sit & in parte? Sin solvendo quinque non liberatus est debitor, an  
*5* *non videbitur ei condictio statim competitura in quinque? 5.* Cum solutio alterutrum operari debeat, aut liberationem aut condictionem *d. l. 26. §. si centum 4. l. 32. §. 1. b. r.* sed liberationem contingere verosimilius. *6.* Nam si in specie proposita quinque accepto feras, pars obligationis perimetur. *l. qui hominem 17. ff. de Accep.* Ergo & de solutione idem dicendum. Acceptilatio enim vim solutionis obtinet, ac imaginaria solutio est. *§. 1. inst. quib. mod. toll. 7 obl.* *7.* Nihilominus aliud Jctis, Celfo atque Marcello deciditur, non perimi obligationis partem dimidiam, ideoque in pendentem habendum an liberetur, petique ab eo posse reliqua quinque aut  
*8* *Stichum. 8.* Quid ita? Quæ decidendi ratio? Qui decem aut Stichum debet, si quinque solvit, nec decem nec Stichum solvit. Igitur adhuc actio creditori superest, ut petat decem vel Stichum. Si enim



enim solutio p̄rtis in unā re, ex duabus alternativē promissis pa-  
reret liberationem omnimodam, eveniret, ut pars altera in re alte-  
ra alternatim promissa, nempe pars Stichi, solvi posset, atque ita  
solutionem unius obligationis in diversis rebus fieri contingeret,  
quod absurdum *l. 26. § ult. h. t.* Si vero actio superest, non po-  
tuit & in quinque nasci liberatio: Ergo si petit quinque, hoc ipso  
imputat illa quinque prioribus solutis: Sin petet Stichum, nasce-  
tur condictio debitori in quinque. 9. Sed cur condici non possunt  
soluta quinque? quia non sunt indebita; Quod enim adhuc debi-  
tum fieri potest, pro eo est, ac si jam debeatur. *l. quod servius 8. in  
fin. ff. de cond. caus. dat. l. 26. § hereditatis h. t.* (Ubi si creditores  
hereditarii solvunt b. f. possessori, etsi solvunt alii, quā verò cre-  
ditori, quia tamen potest iis contingere vera liberatio, nempe he-  
reditate restitutā vero heredi, non potest, interim locum habere  
condictio. *l. si quid possessor. 31. § ult. de her. petit. junctā l. in per-  
petuum 61. inf. de solut.* 10. At cur diversum in acceptilatione? Sci- 10  
licet, quia solutio fit à debitore, qui jus actionis creditori non pot-  
est minuere. Acceptilatio autem fit à creditore, qui jus suum re-  
mittere potest. *Summa huc redit*: si in alternativis pars alterutrius  
promissi solvitur, non contingit in parte reliquā liberatio: nec par-  
tem solutam repetere potest debitor, ut solvat Stichum, quia non  
solvit omninō indebitum, qui solvit id, quod debitum fieri adhuc  
potest. Hæc est prima Quæstio 11. Altera de electione est. Quæ- 11  
ritur enim solutis quinque, præstitoque simul Sticho, si stipulator,  
malit Stichum reddere, & altera quinque sibi solvi, an sit ejus ele-  
ctio: 12. Negat Jctus Celsus; sed posse promissorem quinque con- 12  
dicere. 13. Ratio dub. est sæpè illā jam nobis laudata regula, quod 13  
debitoris sit electio. At debitor est nunc, ubi agitur de condi-  
ctione, is qui ante solutionem erat creditor, uno verbo, cui solutio  
facta. 14. *Ratio Dec.* quia cum ex duabus rebus alterius tantum, 14  
pars solvitur, altera autem tota, jam obligatio est soluta debitorq;  
liberatus. Creditori enim ex obligatione disjunctivā alterutrum  
debeatur. Sed est solutum, volente creditore & acceptante. Ex-  
stinctā igitur obligatio. Proinde ad reliqua quinque neque obli-  
gatio restat, neque adeo electio. Ergo quinque sunt indebita se-  
cus esse, si ab initio utrumque solutum sit integrum, ait Celsus. Ac-  
cipi-



15 cipienti enim retinendi, quod velit, arbitrium dari. 15. Itane ve-  
vo? Ehodum *Triboniane*, tuam fidem! Et postquam leges Pande-  
rum omnes ex mente Justiniani accipiendæ, nihilominus Celsus  
dissentit à Juliano, Papiniano, Justiniano? Et Stipulatori dat ele-  
ctionem? Hic deprehensum tenent Tribonianum Interpp. qui quia  
16 pugnantia suo corpori inferuerit, ne mutire jam contra ausit. 16.  
Habet tamen adhuc Patronos. Et quidem *Accursius*, *Cynus*, *Ful-*  
*gosius*, *Salicetus*, concedunt, decisione ista justinianeâ sententiæ  
Proculejanorum derogari. Et ex recentioribus *Cujac.* 8. O. 35.  
Et ad *l. pen. C. b. r.* *Labritus usu iudicis sui tertio*, *Merillius*, alii.  
17 17. Aliis videtur, Celsi opinionem commemorari solum, non pro-  
18 bari. 18. Alii putant diversum jus esse, ubi in alternativis alterum  
19 duntaxat ex parte solvitur. 19. Alii tractari casum, ubi stipulator  
20 ab initio optionem sibi reservavit. *Cynus ad l. hanc pen. C. h. c.* 20.  
Alii ita explicant, quasi dixisset Celsus in casu à se proposito, nem-  
pè solutis, pro decem, non nisi quinque & Sticho, electionem esse  
oportere promissoris, eique conditionem dandam, ut maximè  
sua Celsi sententia aliàs, ubi utrumque integrè solutum, vera sit,  
21 arbitriumque retinendi creditori competat. 21. Prima responsio,  
quam plurimis reprobatur. Alteri repugnant verba dispositiva.  
Tertia ratione differentiæ destituitur fortè. Quarta divinatur, teste  
ipso met Cyno, postrema contorta est, nec absolvit Tribonianum,  
quin in Pandectis reliquerit, quod jam per 50. decisiones esset reje-  
22 ctum, sed à prima si discesseris, sola hæc forsan tuta erit. 22. Quid  
verò, Sticho aut Pamphilo debitis, si promissor unum, tanquam  
hunc solum debitum, per ignorantiam solvit, poteritne condicere.  
23 23. Non poterit, secundum Celsum *l. si is cum. 19. ff. de Leg. 2.* 24. At  
24 poterit forsan secundum Julianum? *L. cum is. §. ult. b. r.* 25. Hic  
25 ergo iterum Compilatores dormitantes dissidentium sectarum o-  
piniones posuerunt? Ita ait *Cujacius ad b. l. C. b. r.* Et *Balduinus*  
admodum duriter Tribonianum increpat: sed & eos qui eum  
excusant, quos impudenter verecundos appellat *Interpretes lib. 20.*  
26 *Justin. p. m. 133.* 26. Aut eò veniendum, ut quinquaginta decisiones  
27 derogent Pandectis? 27. An inter legatum & stipulationem distin-  
guendum, quod in stipulationibus electio non ita consumatur *l. si*  
*quis 112. ff. de V. O.* ut in legatis, sive optio expressè sive tacitè lega-  
ta sit.



ta sit. l. 2. ff. de opt. elect. leg. Quod vult cum Pacio, post Alciatum  
ad l. 2. §. Et harum ff. de V. O. Robertum l. i. sentent. juria. c. 9. Me-  
rillius. 28. An dicemus diversos proponi casus Julianum non age-  
re cum Celso, de Stichō & Pamphilo promissis: sed de homine, 28  
in genere aut decem. Qui hominem generaliter promissit, inquit  
Julianus, similis est ei, qui hominem aut X. debet. Generis enim  
debitor perinde habet electionem, quam velit solvere speciem, ac  
si omnes species disjunctim promississet. l. 2. §. 1. de V. O. Ergo in  
obligatione alternativā generis & quantitatis, si quis hanc speciem,  
tanquam debitam solam, solverit, repetere posse videtur, quasi  
nec verē debita fuerit. Aliter atque si duas species sub disjunctio-  
ne promiserit: V. g. Stichum aut Pamphilum. Si enim solum Sti-  
chum debere se crediderit, solvens eum non repetit, secundum  
Celsum, quia verum est, præcisè debitum eum fuisse, cum in obli-  
gatione alternativā utraque species ponatur ad obligationem. l. si  
duo 128 de V. O. l. qui decem 72. §. Stichum. aut Pamphil. ff. de so-  
lut. Quod in obligatione generis diversum est, cum nullius cer-  
tæ speciei debitor sit, qui debitor generis est. Quare quia hic debi-  
tor errat, putans se certæ speciei debitorem, quam per errorem  
solvit, meritò ei datur condictio speciei per errorem solutæ, quæ  
non datur, ubi per errorē nihil solutū est. Quæ explicatio Accursi  
atq; Bartoli, & ex recentioribus A. Fabri in rationalibus ad l. 32. ve-  
ra est. 29. Deniq; si duo sint rei debēdi, qui debeant Stichū, aut decē, 29  
& primus solvat Stichū secundus X. electio est creditoris, utrū malit  
restituere. l. plane 21. ff. h. t. Non igitur pertinet ejus legis dispositio  
ad decisionē præsentē, quæ de uno eodemq; promissore seu reo est.  
Hic autem casus de duobus. 30. Ratio differentiæ in eo vertitur, 30  
quod electione nec uni debitori, nec utrique possit competere.  
Non uni, quia par ratio est utriusque. Non ergo h. e. illi præferri  
potest. Non utrique, qui quod unus eligat, alter non possit eligere,  
vel certè singuli hoc modo repeterent partem; primus Stichi par-  
tem, alter Pamphili, aut decem. Atqui non licet ipsis ab initio ita  
solvere, ut partem unius & partem alterius dent stipulatori. l. 2. §.  
1. de V. O. Addendus casus. l. cum is pr. d. cond. ind. l. plane 21. ff.  
de cond. indeb. Confer Ludov. Vital. lect. var. lib. 7. c. 23. n. 19. Cu-  
jac. recit. Cod. h. t. ad nostram l. pen. sub finem.



CAPUT VI.  
ad L. ult. C. eod.

Verba textus

L. 11. Idem A. Juliano Praefecto Pratorio.

**P**ro dubietate eorum, qui mente titubante indebitam solverint pecuniam, certamen legumlatoribus incidit, idne, quod ancipiti animo pro solverint, possint repetere an non. Quod nos decidentes, sancimus, omnibus, qui incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quandam speciem pro solverint, repetitionem non denegari, & praesumptionem transactionis non contra eos induci, nisi hoc specialiter ab altera parte approbetur. Dat. Kal. Octob. Const. Lampadio & Oreste VV. CC. COSS.

SUMMARIA.

1. Tempus decisionis edita.
2. Quaestio controversa.
3. Ratio ducitandi.
4. Quidam Juri dubitantem pro ignorante habebant.
5. Alii pro sciente.
6. Imperator dubitantem pro ignorante habet.
7. Rationes decidendi.
8. In quibus casibus dubitans pro sciente.

**E**missa est haec decisio Kal. Octob. quo eodem tempore sex aliae decisiones promulgatae, nempe L. 16. C. de usufr. l. 25. & 26. C. de N. t. L. 21. C. de fur. L. ult. ad S. Ct. Orph. L. 14. de fideic. lib. 2. | Deciditur autem quaestio an is qui dubitans debitum (an indebitum solvat, indebitum solverit, repetere possit. 3. Ratio dubitandi, quia dubitatio medium est scientiam inter & ignorantiam. Gl. in l. veteribus ff. de pact. Bart. in l. ab executione. n. 7. circa medium de Appell. Vel ut Isidorus, motus indifferens in utramque partem contradictionis, & Thomas Aquinas in 3. dist. 17. dubium vocat contrariarum rationum aequalitatem. Ergo merito dubi.



dubitatur, utri extremo hic casus medius comparari debeat. 4. 4  
Alii Consultorum in hoc casu dubitantes putabant magis acce-  
dere ad ignorantem, quod convenit *l. 1. ff. de Leg. 3. l. 14. l. 15. ff.*  
*Qui test. fac. poss.* ubi qui de jure suo dubitat, actum secundum  
jus illud celebrare nequit. Item *l. 2. pr. ff. quis ord. in poss. ser. l.*  
*ult. §. Sin autem 2. Cod. de furt.* Dubitantes & errantes pro iis-  
dem habentur *l. de statu. 15. ff. Qui test. fac. poss.* 5. Alii du- 5  
bitationem magis accedere ad scientiam opinabantur. Non est  
enim omninò nescius, qui dubitat. Ideò & quandoque pro sci-  
ente habetur. *l. 6. §. 4. ff. de Adq. vel amit. her. l. non solus. 22. §.*  
*3. de lib. caus.* Accedit, quod solvendo dubitationem sustulisse  
videtur, quin transigendi animum habuisse, & potius à lite disce-  
dere quam actionem creditoris experiri voluerit. Transactio e-  
nim fit de re dubiâ. *l. 1. ff. de Transact. & solutione debiti dubii fa-*  
*ctâ, quod controversum fuit, decisum videtur.* At id quod trans-  
actionis causa datum est, repeti non potest. *l. cum summa 65. §. 1.*  
*de cond. indeb. l. 6. C. de Jur. & F. J.* 6. Sed his non atten- 6  
tis Imperator priorum sectæ accedit, conditionemque dubitan-  
ti accommodat. 7. Rationes decidendi sunt præter eam, 7  
quæ pro hac sententia jam adducta, quod dubitans nemo præsu-  
mitur donare, *l. nec ignorans 10. C. de don.* Ergò repetere potest.  
Quia ratio cur sciens non repetat, est quod donare videatur. *l. qui*  
*fundum 7. §. servus ff. pro emt. l. 53. de R. J.* Ergò qui non potest  
donasse videri, condicere potest. Præsertim cum nullo dato vel  
retento vel promisso hæc non procedat, contra *l. transactio. C. de*  
*transact. Duar. ad h. tit. c. 3.* Deinde melius est favere repetitio-  
ni, quam adventitio lucro, in re obscurâ. *l. 41. §. 1. de R. J.* 8. 8  
Quod verò dubitans quandoque pro sciente habetur, id iis casi-  
bus obtinet, ubi dubitatio non respicit substantiam negotii.  
Transactio verò ubi non est animus transigendi nulla est.

Animus autem transigendi non præsumitur,  
nisi probetur.

F I N I S.



AD EXIMIVM DN. RESPONDENTEM,

Amicum & Conuictorem sibi cariss.

μεγαλόφωνα

JO. ANDREÆ BOSII

Histor. Prof. Publ.

Sic sustine, GRIBI, arte conditas theses:  
Sausus benignum Numen auspiciis DEI  
Secundet! Haud sinistro adest Dux omine.  
Comes Labor, mentisque perspicacitas.  
Pergas! sequentur certa Legum præmia,  
Magnique mox Genitoris exprimes decus.

**W**eil Herr Griebel/werther Freund/Er sich rühmlich fürge-  
nommen  
Durch Gelahrt. Geschicklichkeit einsten hoch hinauff zu  
kommen/

Und durch dieses Probestücke dessen/ das er schon erlangt  
Hierzu einen Anfang machet/ und auff der Catheder prangt.

Wündsche ich mit wenigen/das Gott die verliehne Gaben  
Sichtiglich vermehren woll/und zu dem/was sein Vorhaben  
Groß Glück und Gedenen geben: dem geliebten Vaterland/  
Wündsch ich/machen gute Dienste und Gelartheit Ihn bekant.

Mit diesen wenigen hat bey seines hochgeehrten  
und werthen Freundes wolgesetzter Disputa-  
tion Glückwündschend erscheinen wollen

Heinrich von Einsiedel.

**M**acte animi! Tibi quippe parum est pallefcere libris,  
Ni & hausta reddas, in ve arenam prodeas.

Qui possit repeti, quod fortè errore solutum,

Exasciatis instruis nos paginis.

Præmia Tu condicta feres, ac debita. Perge;

Nos Te sequamur impari licet gradu.

*Ita Præximo atque Literatissimo Dn. Respon-  
denti, Conterraneo ac Contubernali suo Cha-  
rissimo gratulari voluit*

Caspar Tileman Wesener Hal. Sax.





94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974



56.

V. A. 17





**H**umanae varietate et ceperunt loqui  
omnes et omnia que in  
humana dicit deo alluere. Finis





20

REVERENDISSIMO. SERENISSIMO.  
DISSERTATIO PUBLICA  
Ad  
*L. pen. & ult. Cod.*  
De  
**CONDITIONE**

**INDEBITI,**

*Quam*  
PRÆSIDE

**Dn. JOHANNÉ STRAUCHIO,**  
Jcto, Consiliario Saxonico, Prof. Publ. Curiāe Pro-  
vincialis Saxonico-Ducalis, ut & Scabinatus, atque

Juridici Ordinis Assessore, in illustri

Salanâ

*Examinandam proponit*

**CASPAR ANDREAS GRIBIUS,**

HALL. SAX.

*Ad diem Decembr.*

---

JENÆ, Typis NISIANIS

ANNO M. DC. LVII.

CASPAR ANDREAS GRIBIUS

